

Pelagianis aliquid habet commercii. Peccata enim natura sua omnia esse mortalia, nec tamen idcirco omnia esse aequalia, sed quaedam mox reddi venialia, quaedam manere aliquamdiu aut semper mortalia, non pro diversitate gratiae DEI, quae non variat, sed diversitate subjecti committentis renati aut non renati, mox poenitentis, aut non poenitentis: manifestior est veritas quam quidem ullo argumento a quoquam infringi queat. Non vero Pelagianos habet assecclas, quos potius in hoc ipso articulo non una vice pii Confessores toto animo damnarunt. A. C. Art. II. & XVIII. An vero Bellarminus cum suis Pelagianorum erroribus scateat, non disquirendum jam amplius est, ubi per JANSENI, & qui eum secuti, studium atque industriam res illa tota jamdudum est confecta, ut illorum objectiones prius solvendae veniant, antequam nos constituent Pelagianos.

§. XV.

Pergunt convitiando, & nos porro in eodem articulo fidei PROCLI, ORIGENISTARUM & MESSALIANORUM instar habent: Loquatur rursus Bellarminus; ex hujus enim scaturigine iniquitatis bibunt omnes, qui pari nos accusatione infectantur: *Proclus Haereticus apud Epiphanium haeres. 46. dicebat, peccatum in renatis semper vivere: concupiscentiam enim vere esse peccatum, nec tolli per baptismum sed sopiri per fidem, quod idem postea docuerunt Messaliani haeretici apud Theodoretum L. 4. de haereticis fabulis. Haec est ipsissima sententia Lutheri Art. 2. § 31. Verum quomodo perversa illorum dogmata Luthero aut nobis accommodanda? Dicebat ex recensione Bellarmini Proclus, peccatum in renatis semper vivere, hoc est, dominari ac regnare: Quis vero ex nostratibus sic sentire Bellarmino deprehensus est? Nihil enim tale in verbis Lutheri reperias. Imo vero nec Bellarminus,*